

1803.¹—Demum cum Scapulare B. M. V. de Monte Carmelo præ cæteris sit honore dignum, ex Decr. S. C. Ind. de 27 Apr. 1887, non amplius commixtum cum reliquis quatuor vel pluribus, sed separatim est benedicendum et imponendum, et *indultum in perpetuum* postmodum non amplius conceditur, atque illi, quibus est concessum, eo tantummodo *ad decennium* (i. e. usque ad 27 Apr. 1897) perfrui possunt.²—Hunc in finem etiam a S. R. C. 24 Julii 1888 brevior et specialis formula benedicendi et imponendi Scapulare B. M. V. de Monte Carmelo concessa est.—**b.** *præcisa declaratione S. Sedis* in contrarium. Ita in Consociatione a S. Familia non requiritur nomina, sed sufficit *numerum* membrorum cujusque familiæ adscribere. Adscriptionem procurare potest non tantum pater, sed quævis ex præcipuis personis familiæ, ut avus. Si reliqua membra recusant adscribi, unus seorsim adscribi potest.³ Notandum vero est, sub numero, licet totali, non comprehendi prolem post membrorum consecrationem natam, nec membra defuncta. Ita ex *Æd. Vic.* 26 Jul. 1896 ap. *Anal. eccl.* iv. 321.

193.—VIII. Gratia et obligationes in Confraternitatibus.

Gratiæ sunt: **a.** major communicatio in bonis operibus, præsertim pro iis, quæ aggregatæ sunt *Religiosis Ordinibus*, (**cf. n. 188. b.**)—**b.** plurimæ indulgentiæ;—**c.** adscripti cui-cumque Confraternitati, si infirmi aut incarcerati sunt, ex indultis de 25 Febr. 1877⁴ et 20 Aug. 1887⁵ omnes indulgentias, quas alii adscripti in illo loco per visitationem Ecclesiæ lucrantur, possunt lucrari, si reliqua opera fideliter exequentur; si vero ex iudicio confessarii prudentis aliter legitime impediti sunt, loco visitationis opus pium a confessario impositum perficere debent.⁶

Ad participationem harum gratiarum præter legitimam receptionem requiritur observatio statutorum, *quatenus* conditiones pro indulgentiis lucrandis continent. Cæterum statuta

¹ Decr. n. 350 et Ulrich p. 137.

² Ber. p. 719 (370).

³ Ex *Ædibus Vicariatus Urbis* 12 Dec. 1893 ap. *Act. S. Sed.* xxvii. 62, 63.

⁴ Decr. n. 431.

⁵ Ber. p. 906-909 (544); *Acta S. Sedis*, xx. 207.

⁶ Indult. de 16 Jun. 1887 ap. *Act. S. Sed.* xx. 108, ii. ad 4.

non obligant sub peccato, nec transgressio eorum efficit, ut quis desinat esse membrum Confraternitatis aut inhabilis fiat ad indulgentias Confraternitatis lucrandas.¹

194.—IX. Gubernatio Confraternitatum.

a. Supremus Moderator est Episcopus Diocesis, ut patet ex dictis de erectione, statutorum approbatione ac mutatione, Rectoris institutione. Unde Episcopus eas visitare potest, uti definivit *Conc. Trid.* xxii. cap. 8 et 9.—Hoc valet etiam, at in iis tantum, quæ bonorum administrationem respiciunt, si Confraternitas quædam in Ecclesia Regularium exemptorum instituta est. Et si tali Confraternitati incumbit onus manutenendi altare et illius cultum, Episcopus potest visitare circa ea, quæ respiciunt ipsam manutationem, cultum et ornamenta altaris seu cappellæ, onera Missarum atque divinorum Officiorum ibidem celebrandorum et circa ea omnia, quæ ad obligationem eorundem Confratrum relationem habent.²—In bonis suis ad finem pium applicandis dependent Confraternitates ab Episcopo; et cum eorum bona sint ecclesiastica, *alienari* possunt tantum cum licentia S. Sedis (S. C. C. 6 Martii 1797), i. e. servatis solemnitatibus, quæ pro alienatione bonorum ecclesiasticorum apud nos in *Conc. Pl. Balt. III.* præscriptæ sunt.³—Nulla Confraternitas potest transferri ab una Ecclesia in aliam absque consensu Episcopi.

b. Rector Confraternitatis jus habet adscribendi fideles, eam juxta statuta dirigendi, adhibito ad hoc pro suo arbitrio, quodam magistratu; non vero potest statuta immutare, imo nec potest, si indulgentia die ad libitum eligendo est lucranda, decernere, ut omnes die a se statuto eam lucrentur.⁴

c. Sodales defectuosi non statim a catalogo delendi sed præmittendæ sunt monitiones. Iis in vanum adhibitis ejici possunt ab Episcopo vel præhabita ad hoc facultate a Rectore. *Mon. eccl.* vol. ix. part. i. p. 194.

¹ Decr. n. 298 ad 2, 379.

² S. C. C. 23 Junii 1719 ap. Ferraris v. *Confraternitas*, art. iii.—Cfr. *Bened. XIV. Inst.* 105, § 87; Ber. p. 614 (551). Vide Card. Melchers: *De canonica Diocesum visitatione*. Coloniae Rhen. 1893, pag. 13. n. 8, et pag. 76.

³ Cfr. ib. in indice v. *Alienatio*.

⁴ Ber. p. 606 (545).

d. Præcedentia Confraternitatum ex Const. Gregorii XIII. *Exposcit* regulatur secundum illud: "Prior tempore, potior est jure;" in processionibus vero theophoricis omnibus præcedit Confr. de SS. Sacramento.¹ Præcedentiam præ omnibus Confraternitatibus habent Tertiarii cujuscumque Ordinis, dummodo collegialiter et cum proprio habitu incedant.²

e. Relatio Confraternitatum ad Parochum, *si hic non est Rector earum*, salvis conventionibus et pactis, constitutionibus Synodalibus, consuetudinibus immemorabilibus etc. determinatur per Decr. S. R. C. U. et O. de 10 Dec. 1703,³ vi cujus 1. Confraternitas *erecta in Ecclesia parochiali* a Parocho dependet in omnibus functionibus ecclesiasticis, etiam non parochialibus, non autem in aliis, ita ut independenter ab eo possit conventiones habere, bona sua administrare, de eis juxta statuta disponere etc.;—2. Confraternitas vero *erecta in alia Ecclesia* aut in oratorio quodam a Parocho dependet non nisi quoad ea, quæ sunt jurium parochialium aut alia de causa ad Parochum spectant.

195.—X. Dissolutio Confraternitatum.⁴

Confraternitas a. non dissolvitur: 1. si Ecclesia, cui inhæret, diruta iterum in eodem aut alio loco, sub eodem aut sub alio titulo reædificatur, 2. si Ecclesia Ordinis huic subtrahitur et Clero Sæculari traditur, aut profanata cultui iterum restituitur;⁵ nec perit Confraternitas 3. si injuste e. gr. a potestate civili supprimitur,⁶ aut ob defectum membrorum ad tempus vita caret,⁷ dummodo hoc non duraverit per centum annos aut ultra,⁸ et unum saltem membrum adhuc in vivis sit. Nam "jus collegii sustinetur in uno."

b. Confraternitas cessat, si vel adscripti scientes et volentes vel auctoritas ecclesiastica eam solvunt. Episcopus supprimere potest Sodalitium, si a fine suo defecerit.⁹

¹ S. Congr. Conc. ap. Ber. p. 613 (549).

² S. C. Ep. et Reg. ib. et S. C. Indulg. 4 Julii 1888 ap. *Acta S. Sed.* xxiii. p. 125.—S. R. C. 27 Mart. 1893 ap. *Mon. ecl.* vol. viii. part. i. 115.

³ Bened. XIV. *Inst.* 105. Gard. n. 3670. Ber. ed. 10, p. 546.

⁴ Ber. p. 616 (552) seq. ⁵ Decr. n. 396. ⁶ Ib. n. 285.

⁷ Ib. n. 269.

⁸ *Acta S. Sedis*, xix. p. 319.

⁹ Ib. xxii. p. 596. Monacelli P. i. Tit. v. n. 53.

Appendix formularum. (Beringer ed. 10, p. 497, 518 seq.)

I. *Pro erectione Confraternitatis per Episcopum.*

a. Rme et Illme Dne!—N. N. motus desiderio promovendi devotionem erga . . . humiliter petit a Te, Rme etc.: 1. ut Confraternitatem . . . sub titulo . . . in Ecclesia S. . . loci N. . . *erigas*, 2. statuta ejusdem hisce litteris inclusa approbes, 3. R. D. . . (Parochum . . .) Confraternitatis Præsidentem constituas cum facultatibus necessariis et opportunis, præsertim substituendi sibi alium Sacerdotem, si opus fuerit, ad recipiendos fideles et alia præsidis munia exercenda.—(Confraternitas hujus nominis et instituti hic et in distantia trium milliariorum non existit.)¹ Aliæ Confraternitates in hac ecclesia jam erectæ sunt hæ . . . Datum . . . N. N.

b. His litteris Episcopus subjungere potest *Decretum erectionis*:² Visis precibus Nobis oblatis auctoritate Nostra (vi facultatis . . .) erigimus Confraternitatem, de qua in precibus, ejusque statuta a Nobis revisa approbamus, eandem Nobis et successoribus Nostris subjicientes . . . Rectorem ejusdem Confraternitatis nominamus . . . tribuendo ei facultates necessarias et opportunas . . . et præsertim, ut possit, si opus sit, alium sibi Sacerdotem substituere ad fideles etc. Datum . . . N. N.

II. *Pro erectione Confr. per Generalem Ordinis.*

a. *Supplica pro consensu et testimonialibus Episcopi.*

In illa sub I. a. (supra) loco: "*erigas*" ponitur: "a Rmo P. Generali N. . . erigi concedas;" et post: "*exercenda*" additur: "4. ut litteris testimonialibus Rmo P. Generali prædicto ejus Confraternitatis pietatem et Christianæ charitatis officia, quæ exercere cupit, pro erectione commendes."—

b. *Litteræ testimoniales Episcopi in folio proprio.*³

Visis precibus Nobis oblatis concedimus erigi Confraternitatem etc. ut supra sub I. b.—*In fine additur*: "Denique ipsius Confraternitatis instituendæ pietatem et Christianæ charitatis officia, quæ exercere cupit, Rmo P. Generali . . . pro benigna erectione enixe commendamus."—

Hæ litteræ testimoniales mittuntur (a Parocho) unacum sequenti:

c. *Supplica ad P. Generalem.*

Rme P. Generalis. Quum infrascriptus Orator N. N., Rector Ecclesiæ . . . Sancti N. loci N. in Diœcesi N. Confraternitatem . . . in prædicta Ecclesia constituere desideret, Rmo et Illmo Dno

¹ Cfr. n. 185 d.

² Cfr. n. 185 b.

³ Sequentem formulam sufficere, perspicitur ex Resp. S. C. Ind. 20 Maj. 1896 ad i. ap. *Act. S. Sed.* xxviii. 751.

N. N. Episcopo N. statuta ejusdem Confraternitatis jam propositi atque ab eodem approbationem ac commendationem pro erectione obtinuit, prout litteræ adnexæ testantur: quare prædictus Orator Paternitatem Tuam humiliter rogat, ut dictam Confraternitatem in hac Ecclesia S. N. (ad altare S. N.) erigere et Præsidi a Rmo Episcopo designato ejusque successoribus facultates necessarias et opportunas (benedicendi Coronas, benedicendi et imponendi Scapularia . . .) communicare velis, concessa etiam venia, ut Confraternitatis pro tempore Rector ex rationabili causa alium sibi Sacerdotem substituere possit ad fideles recipiendos, Scapularia benedicenda . . . et alia præsidum munia exercenda. Datum etc.

(Decretum acceptum Episcopo pro cognitione proponendum est.)

III. *Pro aggregatione Confraternitatis ad Archiconfraternitatem.* Confraternitate ab Episcopo (ut supra I. ad b.) erecta, a. eidem submittitur *subscribendum* simile fere *testimonium*:

Tenore præsentium fidem facimus, per Decretum diei . . . a Nobis editum in Ecclesia N. loci N. Diœcesis Nostræ canonice erectam esse Confraternitatem . . . Cum autem Nobis expositum sit, pro majore dictæ Confraternitatis incremento desiderandum fore, ut Archiconfraternitati ejusdem nominis (Romæ . . . existenti) aggregetur; cum præterea laudatæ Confraternitatis institutum, pietatem et Christianæ charitatis Officia maxime commendanda censeamus, precibus Nobis porrectis libenter annuentes, per præsentis litteras licentiam concedimus, quinimo valde exoptamus, ut eadem Confraternitas prædictæ Archiconfraternitati uniatur et aggregetur.—Testamur demum (in dicto vel alio ad tria milliarum propinquo loco aliam Confraternitatem huic Archiconfraternitati jam aggregatam non existere et¹) dictam Confraternitatem alteri Archiconfraternitati non esse aggregatam.

Hoc testimonium transmittitur ad Archiconfraternitatem una cum sequenti:

b. *Supplica.* Rev. Dne . . . Rector Confraternitatis . . . in Ecclesia ad S. in loco . . . Diœcesis . . . legitime erectæ enixe rogat ut Rev. Vestra (vel venerabilis istius Archiconfraternitatis Præses) hanc nostram Confraternitatem Archiconfraternitati ejusdem nominis ibi existenti aggregare velit cum communicatione omnium indulgentiarum et gratiarum eidem concessarum, facta etiam facultate, ut Rectores pro tempore Sacerdotes, quos iidem cum Ordinarii licentia sibi substituerint, possint benedicere Coronas . . . et alia

¹ Cfr. n. 185 d.

præsidum munia exercere. Aggregationi nihil obstare, ex litteris Rmi Episcopi hisce apposis evidens est.

(Diploma aggregationis cognitioni Episcopi subjiciendum est.)

IV. *Pro obtinenda facultate fideles inscribendi in Confraternitates:* e. gr.

a. Revdme Pater: N. N. Sacerdos Diœcesis N. humiliter petit facultatem aggregandi (ad Confraternitatem SS. Rosarii et benedicendi Rosaria B. M. V.) Pro qua gratia etc.

Datum . . . N. N. (*addendo ut p. 127.*)

Directio: Ad Reverendiss. Magistrum Generalem Ordinis Prædicatorum, via S. Sebastiano 10 presso Piazza di Spagna.—ROME, Italy.

b. (Ut sub a.) . . . (ad Archiconfraternitatem B. M. V. in Cœlum Assumptæ ad juvandas Animas in Purgatorio detentas) . . .

Directio: Ad Rmum P. Procuratorem Generalem C. SS. R., Sta Maria in Monterone, Via Teatro Valle, 58 A, Rome, Italy.

NOTA. Cum facultate aggregandi in *hanc* Confrat. conjuncta est—præter alias—facultas: 1. benedicendi Scapulare SSmæ Trinitatis et fideles adscribendi Confraternitati Ordinis SS. Trinitatis et 2. benedicendi et imponendi Scapulare Passionis Dni et SS. Cordium.¹

BB. *De Confraternitatibus, quæ vi fac. 9 Form. C. erigi possunt.*

I. DE CONFRATERNITATE B. M. V. DE MONTE CARMELO.

Confraternitas hæc, si vi hujus Art. erigitur, non est conjuncta cum Scapulari B. M. V. de Monte Carmelo (cfr. infra n. 204 ad iii.). Attamen cum fideles harum regionum frequenter ex aliis facultatibus non tantum prædictum, sed etiam alia Scapularia per investitionem in ea suscipiant, opportunum visum est, de eisdem scitu necessaria heic conscribere, eo magis, quod etiam Confraternitas Ordinis Carmelitarum, cui Scapulare annexum est, in pluribus locis erecta est et non pauci Sacerdotes, præsertim PP. Redemptoristæ (cfr. n. 192 et 198 Nota) non tantum in Confraternitatem Ordinis Carmelitarum, sed etiam in alias variorum Ordinum confraternitates fideles per benedictionem et impositionem scapularium respectivorum recipere possunt. Sit ergo

¹ Rescr. auth. p. 548.

Punct. 1. *De Scapularibus.*

196.—Notio et Divisio.

“Scapularia, quæ fideles gestare solent, sunt Scapularia variis Ordinibus Religiosis propria, ad parvam formam redacta.”¹—Ex magis usitatis alia sunt signa cooptationis in Confraternitatem Ordini respectivo annexam, sc. I. *Scapulare SS. Trinitatis* Ordinis Trinitariorum (signum zeli pro fide propaganda et conservanda), II. *Scap. B. M. V. de Monte Carmelo* Ordinis Carmelitarum (signum specialis devotionis erga B. M. V. cum spe certa ejus ope consequendi liberationem ab igne æterno et a diuturno purgatorio), III. *Scap. Septem Dolorum B. M. V.* Ordinis Servitarum (signum devotionis erga Matrem Dolorosam); alia sunt mere devotionalia, at certis Congregationibus Religiosis concedita, scil. *Scapulare Immac. Conceptionis B. M. V.* Ordinis Theatinorum (signum propositi ineluctabilis, in honorem Immaculatæ Conceptionis B. M. V. vitandi vitia carnis eaque impugnandi) et *Scap. Passionis* Congregationis Missionis seu Lazaristarum (signum assidue meditationis Passionis Christi Domini).²—Hæc Scapularia gestantes ideo specialiter communicant in precibus et bonis operibus Ordinum respectivorum aliisque gratiis; insuper indulgentiis innumeris gaudent. Scapulare vero B. M. V. de Monte Carmelo *peculiaribus privilegiis* præditum est.

Conditiones.

Ut quis gratiarum et privilegiorum *cujusvis* Scapularis particeps fiat, præcisa dispensatione (n. 198 nota), requiritur I. *Scapulare modo præscripto confectum*, II. *Ejus legitima benedictio et impositio*, III. *Ejus continua per modum Scapularis gestatio*.—Requiritur ergo:

197.—I. *Debita confectio*.—Quodvis Scapulare **a.** quoad *materiam* et *formam* constare debet ex duabus partibus quadrangularibus—oblongis vel saltem quadratis—*panni lanei*, funiculis

¹ Decr. n. 423. Cfr. *Coll. Prop.* n. 1099 seq.

² Decr. de 27 Apr. 1887 ad v. (Ber. p. 722 [363]; *Acta S. Sedis*, xix. p. 557.) Præfata conjunctim sumpta constituunt *quintuplex*, uti vulgo dicitur, Scapulare. Cfr. *Linz. Qu. Schr.* 1896 p. 376. Sunt præterea alia, ut Scapulare tertii Ordinis etc.

ita junctis, ut una super pectus, altera super “scapulas” per tergum descendat.—Non valet: 1. si una pars tantum adest; 2. si partes sunt ovals, triangulares;¹ 3. si sunt ex gossypio, serico, lino; 4. si sunt quidem ex lana, sed non textæ in pannum, verum reticulatæ (*knitted*), subcoactæ (*felt*), aut acu pictæ. Ornamenta tamen reticulata aut acu picta, etiam non lanea addi possunt, modo non sint nimia et color præscriptus prævaleat.²—**b.** Quoad *colorem*, quo singula distinguuntur, 1. Scap. SS. Trinitat. debet esse *album* et panniculo albo super pectus descendenti crux superposita, cujus stipes ex rubra, trabes (sub ea) ex cærulea lana sit oportet;³ 2. Scap. VII. Dolor. *nigrum*; 3. Scap. de Monte Carmelo *fuscum* (*brown*) (aut etiam *nigrum*, nisi conjunctim cum priore gestetur); 4. Scap. Immac. Conceptionis *cæruleum* (*azure*); 5. Scap. Passionis *rubrum*—cum imaginibus peculiaribus utriusque panniculo assuendis, una crucifixum, altera SS. Corda Jesu et Mariæ representantibus.—**c.** Quoad *funiculos* materia, forma, et color non sunt præscripta, excepto Scapulari Passionis, pro quo etiam rubri funiculi requiruntur. Si ergo hoc interveniente duo funiculi pluribus Scapularibus (e. gr. quinque supra enumeratis) inserviunt, prout id licet⁴ et in more est, funiculi debent esse rubri coloris, singula vero Scapularia distincta, ideo consultius in superiori tantum margine consuenda⁵ et ea sub **b.** 1 et 5 exteriora.

198.—II. *Legitima benedictio et impositio*. Quodvis Scapulare in *prima* receptione ab habente facultatem cum formula præscripta est benedicendum et ab eodem singulis induendis debite imponendum.⁶—Dico:

a. In *prima* receptione. Primo enim detricto aut perduto aut deposito novum Scapulare quamvis longo post tempore assumptum, dummodo quis non expresse et ex contemptu ei renunciat

¹ Decr. n. 423 ad 5.

² Ib. ad 1–4 et 6 et Resp. S. C. Ind. 6 Maji 1895 ap. *A. E. Rev.* xiii. 68.

³ Cfr. *A. E. Rev.* vol. x. pag. 372.

⁴ Decr. n. 408.

⁵ S. C. Indulg. 26 Martii 1887; Ber. p. 402; *Coll. Prop.* n. 1111 ad 4.

⁶ Ber. p. 392 (359) et seq.; Ulrich p. 109.

averit,¹ non indiget nova benedictione et impositione, a quo nec amplius excipitur Scapulare SS. Trinitatis.² Novum autem Scapulare ad gratias acquirendas assumatur oportet, quando id quod gestatur, aut essentialiter mutatum (e. gr. crux in Scap. SS. Trin. amissa) aut valde deformatum apparet.

b. Ab *habente facultatem*—ordinariam vel delegatam. Facultas obtineri potest (præterquam a S. Sede) privative a respectivis Ordinibus.—Facultatem delegatam habentes ea uti nequeunt in locis, ubi Religiosi (non Religiosæ) Ordinis correspondentis Conventum habent aut Confraternitas ejusdem Scapularis erecta est.³ Generaliter Delegatus etiam sibi Scapulare potest imponere.⁴

c. *Benedicendum et . . . imponendum*: ab eodem Sacerdote,⁵ at benedictio separatim prius fieri potest, et si multitudo adest, Scapularia autem non in sufficiente numero, cum uno benedicto omnes possunt investiri, illud singulis imponendo, dummodo primum, quod dein ita investiti induunt, sit benedictum.⁶

d. Cum *formula præscripta*—saltem in substantialibus servata.⁷ Si multitudo investitur, primo omnium Scapularium simul fit benedictio, dein singulis imponuntur, quo facto omnium receptio in plurali pronunciat.⁸

e. *Debite imponendum*, scil. 1. si una cum aliis etiam Scapulare B. M. V. de Monte Carmelo imponitur, hoc primo loco, et separatim a reliquis,⁹ (cum formula a S. R. C. die 24 Julii 1888 concessa¹⁰) est benedicendum et imponendum; 2. in iis Scapularibus, ad quorum impositionem cooptatio in Confraternitatem perficitur, requiritur etiam ut a Delegato nomina in

¹ Decr. n. 379; Ber. p. 400 (368). Decr. S. C. Ind. de 10 Martii 1856 citatum in contrarium non est in collect. authent.

² S. C. Ind. 24 Aug. 1895 ap. *Act. S. Sed.* xxviii. 256.

³ Decr. n. 326, 309, 316. ⁴ Ib. n. 280.

⁵ Decr. n. 430. ⁶ Ib. n. 394 et 421 ad 1.

⁷ Ib. n. 329 ad 3, 421 ad 2; *Coll. Prop.* n. 1111.

⁸ Ib. n. 286 ad 4 et de 18 Apr. 1891 ap. *Past. Bl.* 1891, p. 104; *Coll. Prop.* n. 2175.

⁹ S. C. Ind. 27 Apr. 1887 ap. Ber. p. 719 (370, 636) et *Acta S. Sedis*, xix. p. 554.

¹⁰ Eam habes ap. *A. E. Rev.* vol. i. (1889) p. 233; *Act. S. Sed.* xxi. 433; Ber. ed. 10, iii. 23.*

albo vicinioris Confraternitatis inscribenda transmittantur,¹ quod nunc etiam valet de Scap. de Monte Carmelo;²—3. impositio Scapularis per ipsum habentem facultatem fieri debet, eo ut investiat corporaliter præsentem,³ licet infirmum in lecto decumbentem aut (saltem quoad Scapulare de Monte Carmelo) parvulum usu rationis nondum pollentem;⁴—4. sufficit Scapulare uni tantum humero imponere.⁵

NOTA. 1. Prædicta de valore sunt, nisi per indulta specialia dispensatio obtenta fuerit. Talem obtinuerunt PP. Redemptoristæ (cfr. supra n. 192) et PP. Jesuitæ in Neerlandia et Belgio.—Advertit autem S. C. Ind. 26 Sept. 1892:⁶ “Admonentur . . . PP . . . , ut nomina receptorum in albo ipsius Sodalitatis vicinioris sive Monasterii Religiosorum inscribere non omittant, ne in eorum obitu suffragiis priventur.”—2. Leo XIII. per Rescr. S. C. Ind. 20 Julii 1884⁷ omnes investitiones in quodcumque Scapulare bona fide invalide factas sanavit.

199.—III. *Continua gestatio*. Gratia Scapularis non acquiruntur **a.** tempore, quo non gestatur (ideo diu noctuque præsertim in articulo mortis gestandum. Non tamen necessario debet immediate super corpus ita deferri, ut illud physice tangat)⁸; **b.** si non per modum Scapularis, i. e. a collo pendens, una sui parte pectus, altera scapulas contegens gestatur, sed alio quovis modo.⁹

Hæc jam sunt ea, quæ in quovis Scapulari requiruntur ad gratias et—positis conditionibus—indulgentias lucrandas. Preces speciales non sunt præscriptæ.

Notandum est singulare privilegium Scapularis cærulei Immac. Concept.,¹⁰ quo id gestantes quocumque in loco indulgentias septem basilicarum Urbis, Portiunculæ, Jerusalem et

¹ Decr. n. 428.

² S. C. Ind. 27 Apr. 1887 (Ber. p. 717 [637]; *Acta S. Sedis*, xix. p. 556).

³ Decr. n. 397.

⁴ Ib. n. 410.

⁵ S. C. Ind. 26 Sept. 1892 ap. *Acta S. Sedis*, xxv. 319.

⁶ *Act. S. Sed.* xxv. 319; Ber. ed. 10. p. 801.

⁷ *Acta S. Sedis*, xvii. 242; Ber. p. 404 (371).

⁸ Decr. n. 367 ad 2.

⁹ Ib. n. 277, 279, 394, 408, 423 ad 6 etc.

¹⁰ Decr. n. 374 et *Coll. Prop.* n. 1106.—Decr. n. 398 ad 2.